# DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
# GENVINA VERMINATIONIS INDOLE ET THERAPIA,

QVAM

*AVXILIANTE NVMINE DIVINO,*

RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,

*VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO*

DOMINO

**CHRISTOPHORO IGNATIO DE GVDENVS, J. V. D.**

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEMQVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

*FACVLTATE MEDICA IN HAC PERANTIQVA HIERANA GRATIOSE ANNVENTE,*

SVB PRÆSIDIO

**DN. JOANNIS FRIDERICI DEPRE,**

*PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,*

EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI CONSIL. AVLICI ET ARCHIATRI, ANAT. BOTAN. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. FACVLT. MED. ASSESS. ORD. ET p. t. DECANI, n. n. CIVIT. ERFFORD. SENAT.

*DOMINI PATRONI ET PROMOTORIS SVI HONORATISSIMI,*

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME ACQVIRENDI

*PVBLICÆ ERVDITORVM VENTILATIONI SVBMITTET*

AVCTOR ET RESPONDENS

**JOANNES GEORGIVS MAVCKISCHIVS,**

HINTER-JESSENSIS MISNICVS,

*AD DIEM XII. JVLII ANNO M DCC XXV.*

IN AVDITORIO MAJORI, COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.

---

*ERFORDIÆ,* Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

# PROOEMIUM.

TOtum *quidem* hominem â nativitate morbum eſſe, *aut ad morbos inclinare, haud ita male pronunciavit Senex Noſter Venerandus, ſed totum illum, ſi* putridum *dixiſſet, minus ſane adhuc erraſſet: ſive enim* mechanicam *partium* continentium *fabricam, quæ exquiſitiſſima eſt, ſive* phyſicam contentarum *mixtionem, cui indagandæ vix lynceus ſufficit oculus, conſideres, ubique certe imminentis, aut proximè præſentis corruptionis atque putredinis indicia triſtiſſima invenies, quæ haud ſimplici quoque vice periculoſum ſuum effectum in quamplurimis artificioſæ hujus machinæ regionibus diffundere & manifeſtare ſolent, excludendo nimirum ac producendo fœdiſſimorum vermiculorum aliquod genus, quod, poſtquam humores ita dictos vitales turpiſſimis impuritatum recrementis alteravit, conſpurcavit atque immutavit, ulterius quoque internam medullam ſectatur, & tam privative, quam poſitive noxiam ſuam qualitatem manifeſtare ſolet, dum nimirum laudabiles atque utiles humores, qui alias in univerſi corporis nutrimentum cedere deberent, conſumunt, ſicque illud ipſum hac ratione iniquiſſime defraudant, vel ſi putredinali ſuo miaſmate & quisquiliis recrementoſis omnes & ſingulas partes contaminant atque polluunt, ut adeo veriſſimum ſane illud* Lucani:

\- - - obnoxia cuncta putrori
corpora, putrores inſecta animata ſequuntur.

*Sic ergo immortalis antea homo, omniumque rerum Monarcha, ob deteſtabile Protoplaſtorum peccatum, viliſſimi vermiculi pabulum atque victima factum eſt; dum enim miniſterio omnium rerum ſublunarium utitur, ſimul quoque omnis generis impuritatibus inquinatur, & infinitas morborum mortisque ſpecies inſenſibili prorſus modo imbibit, adeoque abditi fere omnes, ſtupendi, exotici atque maligni morbi, qui alias inexplicabili fere modo corpus humanum cruciare ſolent, ſicque vulgari ſenſu ſæpiſſime pro incurabilibus declarantur, pauciſſimis non niſi exceptis, â ſolis quaſi* vermibus *excluduntur, & producuntur, imo quamplurimæ etiam hominum myriades ab ipſis communiter occiduntur, Medicis ne quidem ſuſpicantibus grande ejusmodi nefas; cum è contra multi quoque inveniantur, qui impetratâ hoſpitum horum ingratiſſimorum expulſione, Artis aut Naturæ beneficio factâ, præter ſpem & fere ad miraculum omnium, facile in priſtinum ſanitatis ſtatum reſtituuntur, quorum omnium fidem Tibi imprimis facere poſſunt, ſtupendæ illæ hiſtoriæ, quas* Schenckius in obſervationibus ſuis Libr. V. obſerv. 179. usque ad 189. *inſigni ſtudio collegit, quarumque analogæ etiam paſſim adhuc apud varios non minoris famæ Autores proſtant.*

*Propterea quoque ſæpius Medicos cæteroquin feliciſſimos atque eruditionis fama celeberrimos invenimus, qui pariter atque alii rudiores occurſum ejusmodi obſtruſiorum & rariorum affectuum ſtupent, varias ſubinde hariolantur cauſas, plurima, imo omnia tentant, quæcunque tentare poſſunt, ſed ſine ullo ſanitatis lucro, & hoc quidem nulla alia ex cauſa, niſi quod hoſtem in tali corpore abdite ſtabulantem vel non offenderint, vel ſpretum negligentia ſuâ fortiorem reddiderint; unde quoque ſi cum Clariſſ.* Sebizio *in egregio ipſius tractatu*, de eo quod divinum eſt in morbis, τὸ θεῖον *illud Hippocraticum, de omni illo, quod eſt abſtruſum & inſolitum, quodque nec ſenſibus nec ratione facile perveſtigari poteſt, ſive etiam in effectu, ſive cauſis lateat, interpretamur, vermiculis ſane omni jure competere poterit hic titulus, quibus fere nil abſtruſius nilque inſolentius unquam fuit, adeo ut ipſe quoque* Phil.

Marci

Marci *apud* Bonetum de Med. Septentr. Libr. III. Sect. XVI. Cap. 4. pag. 627. *ſequentem in modum nobis aſſentiri cogatur:* Sæpe numero in morbis intricatiſſimis τὸ θεῖον hariolamur, at ſi rem apertioribus oculis penſitamus, *vermes* ſunt *& lumbrici.*

*Cum ergo fœdum atque ignobile hoc animalium genus interdum quoque peritiſſimos Medicorum tam turpiter deludere, ipſisque præter ſpem imponere poſſit, hinc placuit in præſentiarum, ubi loco Inauguralis alicujus Speciminis, Thema quoddam Medicum mihi pertractandum eſt, paulo ſpecialius in cauſas atque ſymptomata, ex turpiſſimi hujus inſecti præſentia dependentes, inquirere, ſicque famoſi iſtius (præprimis inter juniores) affectus,* Verminationis *inquam, indolem atque Therapiam, pro virium mearum modulo, curatius inveſtigare.*

*Faxit Divina Clementia, ut veritatem non niſi candidam & ab omni carie atque putredinoſa cerebrinorum vermium conſpurcatione liberam, in breviſſimis hiſce pagellis, ſiſtam, pro quo impetrando ſummam nunc auxiliantis Numinis opem devotiſſime mihi expeto.*

## §. I.

NOminis evolutionem exquiſitiorem, maxime ubi illa aliquid lucis fœneratur indoli rei deſignandæ, nemo ſane Eruditorum improbaverit, niſi ubi præter neceſſitatem, in illorum præprimis vocabulorum explicatione, quæ rei denotatæ jamjam non admodum bene reſpondent, nimia prolixitas affectatur. *Verminationis* ergo nomen origine Latinum eſſe ipſis quoque Grammaticis notum erit; A vermibus enim, qui omne inſectorum reptilium genus communiter deſignant, tritum illud vocabulum *vermino* & deponentale *verminor*: quod idem eſt, ac vermibus infeſtari, vel vermes producere, Würme haben, oder Würme hegen, & abinde *verminationis*, quæ ipſam non modo generationem vermium in certo quodam loco, ſed & omnia ab hac dependentia ſymptomata indicat, ordinarie illud deduci atque oriri jam pridem cognitum eſt.

§. II. Quemadmodum autem per experientiam ſatis quoque demonſtratum nobis eſt, quod totum hoc Univerſum, inque eo omnia fere elementa animalia, fructus, plantæ, legumina, eorumque ſemina, corruptioni & ſubſequenti exinde vermium γένεσει expoſita atque ſubjecta ſint; ita quoque in denominando pernicioſo hocce actu Antiquiores indiſcretim *verminationis* vocabulo uſi fuerunt, atque primis temporibus omnem vermium generationem, quocunque etiam modo & loco illa contingeret, titulo iſto inſignire ſueverunt, deinde autem ad certam non niſi animalium & præprimis brutorum ſpeciem illum reſtinxerunt, ſicque ſub verminatione tantum peculiarem quendam morbum jumentorum, ubi nimirum illa vermibus infeſtantur, aut tales in corporibus ſuis generant, indigitare voluerunt, licet etiam alio ſenſu certa quædam ſpecies *doloris*, vermium motum repræſentans, aut partem aliquam, vermium adinſtar, vellicans, ſub hoc vocabulo intelligi ſoleat, prout apud *Plinium & Senecam in Epiſtolis* per *verminationem cerebri æſtuantis*, hac ratione ſemper ſummus & ſpecialiſſimus quidam Cephalalgiæ gradus, da es in Haupte alſo grübelt, als ob Würme darinnen wären, exprimitur. Hæc autem omnia in præſentiarum ad nos minime pertinent, ſiquidem per *Verminationem* h. l. non niſi morbum iſtum atque ſingula ſymptomata, quæ in corporibus humanis ſub & poſt factam aliquam vermium generationem oboriuntur, indicare ſolemus.

§. III. Propterea quoque circa vocabuli hujus Synonymiam pauca admodum reſtant annotanda, quoniam illud ipſum jamjam affectum noſtrum ſecundum ſuam ſpeciem, ſatis clare denotare atque optime exhaurire ſolet, ut pluribus pro facilitanda ulteriori ejusdem explicatione, haud opus ſit denominationibus, ſiquidem ipſis quoque Græcis â primitivo Σκώληξ, quod *vermem* proprie deſignat, huncce morbum Σκωλήκησιν aut Σκωληκοτοκίαν, communiter appellitare, in more poſitum eſt. Interim tamen hoc non obſtante, â quamplurimis Medicorum circa appellationem accidentis hujus præternaturalis, tantummodo ad *cauſam morbifi-*

*cam,*

*cam*, minime verò ad ipſum *effectum*, reſpicitur, adeoque *Vermium aut Lumbricorum* nomen κατ᾽ ἐξοχὴν univerſo ſchemati hujus morbi tribuunt, quos proinde etiam Germani imitati ſunt, dum graviſſima quoque ſymptomata, ob ejusmodi animalculorum præſentiam excitata, ſimplici hac loquendi formula ſe ſatis bene indicaſſe putant, quando dicunt: Der Patient habe die Würmer, oder ſey mit Würmern geplagt.

§. IV. Priusquam verò ad ulteriorem & præprimis Medicam Verminationis tractationem me accingo, in genere adhuc monendum eſſe duco, quod, licet in ſingulis humani corporis partibus materia ad generandos & fovendos vermes idonea, in larga ſatis quantitate inveniatur, atque propterea etiam in omnibus illis locis, ſub concurſu reliquarum circumſtantiarum, revera ejusmodi animalcula interdum inveniantur, prout Hiſtoriæ illæ á *Marcello Donato Libr. IV. Hiſt. Med. Mirabil. cap. 26.* aliisque auctoribus collectæ, ſatis abunde teſtantur; tamen heic loci de illis tantum *vermibus* eorumque noxá mihi ſermo futurus ſit, qui præ reliquis ſæpius occurrunt, & in inteſtinis tenuibus atque craſſis, ex certis impuritatibus mucoſis ibidem collectis beneficio caloris, aliarumque congenerum cauſarum, producuntur, & toti Oeconomiæ vitali, niſi ſtatim excludantur, ſucceſſive noxii evadunt.

§. V. Differunt autem iſti *vermes* ſecundum ſpecies vario modo, & ab hac diverſitate varia quoque ſortiuntur nomina, ſiquidem alii ſunt teretes & longi, qui in tenuibus inteſtinis communiter innidulantur, & ob ſimilitudinem, quam cum Lumbricis terreſtribus habent, communiter *Lumbrici*, ob convenientiam autem figuræ cum calamo ſcriptorio, præprimis quoad craſſitiem, Germanis Spul-Würmer vocantur; alii econtra ſunt lati, atque ſimul modo *breves* modo *longi*: *breves & lati* Lumbrici ſeſe tantum ſolitarii per inteſtina volutare ſolent, & á figura ſemini cucurbitæ ſimili, *cucurbitini* appellantur, interdum tamen plures illorum inter ſe cohærent, ſicque catenam, quaſi ex pluri-

mis

mis articulis conflatam, repræſentant, cujus deſcriptionem atque figuram *Aldrovandus Tr. de Vermibus in homine* & *Spigelius de Lumbrico lato*, optime ſuppeditat; longi vero & lati lumbrici duplicis vulgo ſpeciei ſunt, ſiquidem alii in inteſtinis tenuibus tantum hoſpitantur, & per reliquorum tractum quaqua verſum protrahuntur, inſuper quoque capite deſtituuntur, niſi alteram illorum extremitatem, quæ ſabulæ in modum cuſpidata atque tenuis eſt, pro capite reputare velis; cui tamen vix ac ne vix quidem perfecte aſſimilari poteſt: Per univerſum autem corpus exhibent illi interne tubulum quendam minutum, ab una extremitate ad alteram protenſum, qui ſtatim poſt factam excretionem admodum bene, ſin vero exaruerint, paulo difficilius conſpici poteſt, & hæc ſpecies *Tæniarum* (*) nomen obtinuit, atque ſæpius in longitudinem multarum v. g. 10. 20. aut plurium ulnarum diducitur, qualem etiam reliqui Lumbrici, qui pariter ſub *longorum* atque *latorum* titulo comprehenduntur, atque *ſoliorum* denominatione gaudent, exhibere ſolent, qui inſuper â prioribus tantummodo quoad corporis figuram diſcrepant, dum hi ultimi, per univerſum ejus tractum quaſi ſpinam quandam nodoſam, aut circa articulos inſignem numerum minutiſſimarum mammarum oſtendunt, atque in dextro communiter ventriculi orificio nutrimentum ſuum quærunt, â quo per reliqua etiam inteſtina ulterius extenditur.

§. VI. Denique reſtant adhuc vermes *teretes* & *breves*, qui tertiam claſſem conſtituunt, & *aſcarides* vulgo vocantur. Tales non niſi in inteſtino recto commorantur, ibique ſenſibilem ſemper moleſtiam, titillationem, pruritum atque teneſmum excitant, & hac ratione non minus quam

(*) Iſta Tæniarum ſpecies præ reliquis etiam certo cuidam Pariſienſi Medico nomine *Nicolaus Andry*, occaſionem ſuppeditavit, Tractatum quendam Gallicum de *Vermium generatione* conſcribendi, qui nunc ab aliquot annis Germanico idiomate recuſus apud nos proſtat, in quo & in *Diſſert. ſub Præſidio D. Schacheri*, *Lipſ.* 1717. *de Tænia* habitâ, plura memorabilia de hoc Lumbrico lato, continentur.

quam antecedentes vermium ſpecies, multas Oeconomiæ vitali injurias inferunt. Nomen ſuum obtinuerunt â ſimilitudine, quam cum ita dictis acaris aut vermiculis caſei, vulgo Käß-Maden, habent, excepto tantum hoc, quod aſcarides non æque ſimilem motum ſaltatorium exerceant, uti quidem illi, quamvis ipſum vocabulum â Græco verbo ἀσκέω, moveo, mutuatum ſit. Et hæc eſt triplex illa Claſſis, ad quam commodiſſime uſitatiores vermium & lumbricorum ſpecies referri potuerunt, ſicque parum curamus, an ab aliis Autoribus quatuor, vel quinque & plures, an vero pauciores illarum conſtituantur, de vermibus enim monſtroſis, qui interdum ſub figura aculeata, crinitâ, & quacunque alia inſueta formâ in infantibus aut aliis ſubjectis apparuerunt, & ob conjuncta ſymptomata peregrina, ſæpius incantationis aut faſcinationis alicujus metum adſtantibus, licet ex errore, extorſerunt, neque inſtituti ratio, neque chartæ anguſtia ulterius quædam proferre permittit, cum ad rariores non niſi obſervationes talia pertineant.

§. VII. *Signa* igitur præprimis *diagnoſtica* quod attinet, horum quidem plurima apud Autores recenſentur, ſed ſemper, & quidem non ſine faſtidio, pro diverſa ſubjectorum conditione, etiam ſub diverſo & variabili ſchemate apparent, ita ut etiam *Joan. Bapt. Sylvaticus* haud ita male judicaverit, *ſi vermes pro tali morbo habuit, qui omni pathognomonico ſigno deſtituatur*, ſiquidem ipſa experientia ſatis abunde confirmat, quod ſæpius exercitatiſſimi Medicorum in illorum Diagnoſi fallant & fallantur, maxime ubi reliquorum inſuetorum ſymptomatum turba ipſum hoc negotium adhuc magis difficile reddit. Interim tamen uſitatiora horum ſignorum ad minimum, ſuppeditabimus, ut noſtro ſatisfiat officio, reliqua autem, quæ communiter ſunt obſtruſiora & ſub clinica non niſi Praxi cognoſci poſſunt, Medicis ſagacioribus evolvenda & indaganda relinquemus.

§. VIII. Sic frequentiſſimum atque vulgatiſſimum

Verminationis ſignum eſt, frequens ſputatio, aut ad minimum præternaturalis ſalivæ in os effuſio, cum affectione nauſeabundâ matutino præprimis tempore ſeſe exſerente, ſiticuloſitate continua, præprimis jejuna, aut etiam ſubinde nocturna; accedit pruritus narium cum frictione, imo ſcalptione fortiori, facies una cum oculorum albugine palleſcit, vel liqueſcit, genæ autem modo rubent, modo pallent, appetitus eſt inconſtans & vagus, ſiquidem aliqui bene ingerunt & digerunt, multi autem vel plane nihil aſſumere valent, aut ab aſſumtis etiam in minima quantitate cibis, pejus ſe habent, ac præter vomitus anxios inſimul agrypniam continuam, ſingultuoſas & tuſſiculoſas commotiones, ſudores frigidos, imo perfectam partium extremarum refrigerationem experiuntur, ex quibus communiter præſentiam vermium in ipſo ventriculo arguere ſolemus. Concurrit ulterius intumeſcentia & induratio abdominis cum frequentioribus doloribus torminoſis, alvus modo plane adſtricta, modo etiam nimis laxa eſt. Somnus obſervatur inconſtans, quemque vel pavores & clamores repentini cum dentium ſtridore, vel etiam deliria, ſæpius interrumpere ſolent; imo ſi tandem ſub omnibus hiſce accidentibus verminoſa iſta colluvies non imminuatur, ſed magis magisque augeſcat, aut puſilli iſti carnifices quocunque modo irritentur, atque ipſi actui excretorio, quem natura forſitan molitur, reluctentur, tunc ſubſequuntur convulſiones epilepticæ, aut plane ſingularia alia ſymptomata, quæ imperitis atque ſuperſtitioſis poſthæc anſam præbent, tales patientes pro incantatis aut plane obſeſſis declarandi, prout per experientiam illud haud ſimplici vice comprobatum eſſe novimus.

§. IX. Proinde etiam ratione ſubjectorum in Hiſtoria adhuc notandum eſt, quod *juniora* præ adultioribus, inprimis autem *infantes* atque *pueri* (*) *voraces* verminationi vel

(*) Tales in ſpecie, qui media ætate inter Pubertatem & Dentitionis tempus conſtituti ſunt, notante ita *Hippocrate Sect. III. Aphor. 26.*

vel maxime obnoxii obſerventur, adeo ut in illis interdum majores globi conglomerati vermium, peculiari quadam tunica involutorum, quos vulgus imperitum communiter, die Wurm-Stöcke, appellare ſolet, excernantur, cum ê contra ex adultioribus nonniſi illi, qui temperamenti pituitoſi & cachectici ſunt, flatulentiis crebrius vexantur, nec non famellæ de ſanguine mucoſo ſpiſſiori participantes ac frequentiori menſium obſtructione laborantes, & quidem ſemper rarius, quam priores, ejusmodi affectui ſubjiciantur, ubi inſuper quoque hæc obſervatio peculiarem attentionem meretur, qua Verminationis ſymptomata ineunte *autumno*, præprimis autem exeunte *vere*, ſub tempeſtatis qualitate humido-calidâ, ſemper crebriora & graviora eſſe compertum habemus, de quibus ſtatim ſub ætiologia pluribus agetur.

§. X. Abſolutis itaque & enumeratis omnibus illis circumſtantiis, quæ ad formandam noſtri affectus Hiſtoriam requiruntur, nunc ulterius ad cauſalem earundem conſiderationem devolvimur. Satis ſuperque enim ex allatis hiſce ſignis eluceſcit, quod *Verminatio* nihil aliud ſit, niſi *complexus motuum quorundam extraordinariorum, qui â principio noſtro activo ad impetrandam eliminationem certorum quorundam animalculorum, in ventriculo & inteſtinis habitantium, ſpontaneo auſu excitantur;* ſed qua ratione peregrini illi hoſpites, vermes nimirum, in tubulis inteſtinorum generentur ac producantur, non æque facile liquet, ſiquidem ipſi etiam Auctores circa hoc negotium nondum ita perfecte convenire poſſunt: Veteres enim ex pituita quadam dulci in primis viis reſtitante & putredinem concipiente animalcula talia generari contendunt, ſicque motum ipſum putrefactorium pro cauſa hujus actus efficiente venditant, ſed hujus aſſerti veritatem difficulter admodum demonſtrare poſſunt, præprimis cum ipſa putredo jam conſiſtat in motu quodam reſolutorio & deſtructorio, qui corpus aliquod vivum & tam affabre compoſitum, quale quidem vermes ſunt, minime producere valet,

let, & ſi quid etiam conferat ad hanc generationem, ſaltem hoc ut *cauſa fovens*, non vero tanquam *efficiens* præſtare potis erit, adeoque nidum quidem vermium, in quo illi educantur & nutriuntur, ſubminiſtrat, ad ipſam vero generationem directe nihil contribuit, prout hoc â *Franc. Redi* in Tr. ſuo *de Inſectis*, plurimis curioſis experimentis jamjam egregiè demonſtratum proſtat.

§. XI. Pariter quoque res ſe habet cum *calore putredinali* atque *ſolari*, quos alii in locum efficientis cauſæ evehere tentarunt, cum tamen ex genuina hujus actus indole ſufficienter eluceſcat, quod & hi, præter *mediatum concurſum*, nullum unquam directum effectum & influxum habere queant. E contra vero rationi & experientiæ magis conſentaneum eſt, hancce vermium ſpeciem ſimili ratione, uti in reliquorum inſectorum generatione contingit, ex certis & appropriatis quibusdam *ſeminii*, intra corpus humanum ita produci, ut talia prius una cum cibo aut potu in ventriculum & inteſtina deferantur, dumque ibidem, præprimis in mucilagine iſta viſcidiori, quæ partes haſce communiter obſitas tenet, commodum inveniunt locum, accedente dein naturali horum organorum calore, foveantur, & denique ad ultimum perfectionis gradum perducantur. Demonſtrant autem hoc imprimis ſequentes rationes I.) quia infantes omnes teneriores, quamdiu ſolo lacte nutriuntur, neque quicquam de aliis alimentis, imprimis autem carnium ſpeciebus aſſumunt, vel plane non vel ſaltem rariſſime vermibus obnoxii redduntur, confirmantibus hoc *Galeno Comment. in Hippocrat. Sect. III. Aphor.* 26. *Riverio Prax. Med. Libr. X. cap. IX.* aliisque, quod tamen utique contingere deberet, ſi ex mente *Kircheri in Mundo Subterran. Sect. I. cap.* 10. & *Sect. II. cap.* 1. in lacte milleformia inſectorum ſemina revera extarent; ê contra vero ſi tenelluli iſti juſto citius ablactantur & carnibus aliisque alimentis crudioribus nutriuntur, tunc ſane, ob communicatum ab extra tale ſeminium ſtatim graviſſime vermibus infeſtari incipiunt.

§. XII.

§. XII. Proinde etiam II.) deprehendimus, quod infantes *voraces*, quique ingluviei maxime dediti ſunt, præ aliis ſemper crebrius atque gravius verminare ſoleant, manifeſto teſtimonio, quod ſub nimia hac ciborum, præprimis autem farinaceorum & carnoſorum addiphagia, major ejusmodi ſeminiorum copia in corpus deducatur, ibique leviori negotio inter mucoſitates jamjam præſentes & putreſcentes, excludatur. Singulæ enim frumentorum ſpecies, etiam dum adhuc aeris injuriis in campo expoſitæ ſunt, vermes continent; farina ipſa, ſi in paulo humidiori loco aſſervetur, vermes producit, quin imo in ipſo pane ſæpius vermium catervas, aut illorum ad minimum ſemina deprehendimus, quæ cum abundantiori ejusmodi alimentorum ingurgitatione neceſſario quoque in majori copia aſſumuntur, & ſucceſſu temporis ita foventur, aut ſub calore nativo excluduntur, ut demum verminoſa talis proles inde proveniat. Quare etiam Clariſſ. *Hoffmannus* in *Apologia ſua pro Galeno* voracitatem panis etiam ſimpliciſſimi atque puriſſimi pro genuina hujus mali cauſa non inepte declarat, id quod etiam â *Galeno* jamjam in *Comment. ad Libr. VI. Epidem. Hippocrat.* obſervatum fuit. Confer. quoque Obſervatio *D. Albrechti* in *A. N. C. Decur.* II. *Anno X. Obſ. 11. p. 26.* Quin imo ipſa etiam infinita augmentatio horum inſectorum, quæ ſæpius cum ſtupore in infantibus obſervatur, inde facillime demonſtrari poteſt; de qua plura videantur *in Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſ. Ao.* 1692. *Menſ. Januar.*

§. XIII. Porro etiam III.) *ſubjectorum conditio* hoc aſſertum vel maxime probabile reddit, qualia communiter ſunt *infantes & pueri* (*) inter pubertatem & dentionis tem-



(*) In Gallia quidem inter mulieres fides quaſi catholica eſt, *omnes* pueros laborare vermibus & ubi nullus plane rejicitur, ibi putant tale in humores putridos converſos eſſe, notante ita *Riverio in Obſervat. â Pachequo communicatis Obſ. 57.* ſed cum omnium atque ſingulorum non ſit una eademque conſtitutio, facile inde liquet, quod utique etiam ita univerſaliter tale quid non poſſit prædicari.

pus maxime conſtituti: Tales enim leniorem atque mitiorem habent calorem, qui pro fovendis & excludendis hisce ſeminiis aptiſſimus eſt, inſuper quoque abundantem mucoſitatis quantitatem in ventriculo & inteſtinis continent, cui illa ſeminia commodiſſime poſſunt innidulari, poſſident enim liquorem gaſtricum tenuiorem, bilemque limpidiorem & aquoſiorem, qui humores propterea ſeminium iſtud non corrumpunt, ſed intactum conſervant; cum ê contra *adultiores* maxime hanc ob cauſam verminationi minus obnoxii ſint, quia calorem in ventriculo vehementiorem, liquorem gaſtricum acidiorem & bilem acriorem continent, quæ omnia ſtatim in primis initiis ſeminia iſta cum cibis aſſumta iterum deſtruunt, ſicque generationem vermium præcavent. Exinde etiam facile eluceſcit, cur infantes etiam robuſtiores, qui ſunt temperamenti calidioris, & chylificatione ſimul optima gaudent, quales ſunt ruſticorum liberi, ſemper rarius huic affectui ſubjiciantur, nimirum quia pariter ſub hiſce circumſtantiis ſeminia iſta minus commodum locum pro excluſione ſua in illis inveniunt, atque maximam partem ſemper iterum deſtruuntur.

§. XIV. Denique IV.) hoc confirmat *tempus autumnale* atque *vernale*, in quibus uti jam ſupra monuimus, pernicioſus verminationis effectus ſemper crebrior obſervatur, quam aliis temporibus, ſane non aliam ob cauſam, niſi propter leniorem iſtum externum calorem, qui Verminationi promovendæ apprime favet, nec non ob majorem ſeminiorum verminoſorum copiam, quæ tunc fructibus atque alimentis ſingulis â circumvolitantibus ubique aliis inſectis affricantur & communicantur, atque ſic ipſis quoque corporibus horum ſubjectorum ſucceſſive crebrius inſinuantur. Unde etiam ſuperſtitioſa, vel ſaltem erronea illa conſuetudo, quibusdam in locis invaluit, ut infantibus ſuis præprimis in die *Viridium*, atque ſic ineunte vere, Anthelmintica & purgantia medicamenta propinent, credentes, illos ſic per totum illum annum ab

omni-

omnibus vermium incommodis certiſſime præſervari posſe, cui tamen abſolute ita ſubſcribere haud valemus, niſi in quantum per purgans aliquod hoc tempore datum, præſens jamjam ſeminiorum & vermium copia eliminatur, ſicque corpus per breve aliquod ſpatium ab impura tali ſentina liberatur.

§. XV. Supereſt quidem adhuc aliqua difficultas, eaque non exigua, circa hanc hypotheſin, cujus intuitu illa ipſa facile pro imaginario & minus fundato quodam conceptu declarari poſſet, dum nimirum nondum perfecte liquet, nec ſufficienter demonſtratum eſt, â quanam inſectorum ſpecie ſeminia iſta verminoſa proprie producantur, rebusque alimentoſis affricentur, ut poſthac cum his in corpus humanum intrare, ibique ſub talium vermiculorum aut lumbricorum forma ſcenam hancce tædioſam ludere queant, ſiquidem notiſſimum jamjam eſt, quod omnia illa vermiculorum genera, quæ â certis quibusdam inſectis volatilibus v. g. Papilionibus, &c. producuntur, ſemper certis temporibus mutationem aliquam ſubeant, qualem tamen in Lumbricis humanis experiri nunquam copia datur, ex quo non injuſte hariolari liceret, quod tales minime productum alicujus inſecti eſſe posſint, quia in eo â reliquis ipſorum productis tam longe differunt; Sed hæc ipſa objectio parum nos morabitur, culpam enim deficientis hujus mutationis vermium non in ipſorum *Proprietatem* atque *Naturam*, ſed in locum incongruum, ubi commorantur, rejicimus: Plurimi enim ex ipſis, prout jam demonſtratum eſt, inteſtina tenuiora pro habitaculo habent, ubi non ſolum anguſtia loci, ſed & continuus humorum chyliferorum atque mucilaginoſorum, atque aeris ſimul deficiens concuſſus in cauſa ſunt, quod evidens talis alteratio cum hiſce vermibus non æque ſuccedere queat, qualis in reliquis, qui in liberioribus locis degunt, communiter evenire ſolet. Proinde etiam materia illa, quæ productis ejusmodi vermiculis nutrimenti loco inſervit, haud parum ad illorum mutationem contri-

buere

buere ſolet, ſiquidem *acari* in caſeis & *vermes* in carne putrida multis nominibus inter ſe differunt, quanquam ab uno eodemque inſecto, muſcis nimirum majoribus, producantur; quin imo etiam in ipſis humanis vermibus talem differentiam deprehendere licet, ubi v. g. *lumbrici* κατ' ἐξοχὴν ita dicti, quanquam probabiliter ex uno eodemque communi ſeminio cum *aſcaridibus* generentur, tamen quoad figuram & reliqua accidentia quam maxime ab illis differunt, ne dicam de differentia, quæ inter *Solium*, *Tæniam* atque *cucurbitinos* vermes intercedit, cujus jam ſupra §. V. pluribus mentio facta eſt. Atque hæc pro formanda Verminationis ætiologia ſufficiant, plura enim afferre neque anguſtia chartæ permittit, neque etiam ipſa neceſſitas exigit, præprimis cum gravem atque prolixam illam de *generatione æquivoca*, diſputationem quovis modo heic evitare decrevimus, ne præſtantiſſimos illos Philoſophos, qui in ipſius ambagibus jamjam integris voluminibus ſeſe exercuerunt, infauſto nimis conatu æmulari videamur, quare etiam L. B. ſi plura forſitan de hac materia deſideret, ad hos, & in ſpecie ad *Fortun. Liceti Tr. de ſpontaneo viventium ortu*, humaniſſime remittimus.

§. XVI. Circa *prognoſin* brevibus notamus, quod utique non leve ſit malum Verminatio, ſive ſimplex, ſive cum aliis morbis complicata, præprimis ob ſymptomata illa inſolita, motusque ſpaſticos aut convulſivos, quos ſæpius cauſari ſolet, quorumque inter illos, fuſius reminiſcitur MORONIVS in *Directorio Medico* ſub titulo *Vermium & Febrium*. Sic *Verminatio ſimplex* utcunque vitia adpetitus, concoctionis, diarrhœas moleſtas, vomitus anxios, cardialgias, dolores colicos, flatulentiam & quæcunque alia ſub ſignis jam recenſita ſymptomata, cauſatur; *complicata* autem, & quidem cum morbis *chronicis*, illos non leviter auget, atque ulterius protrahit; cum *acutis* vero adhuc pejor eſt, atque deliria graviſſima, motusque alios vix non ſemper lethales cauſatur, præprimis ubi vermes vel per malignam materiæ peccantis qualitatem, vel per aſ-

ſumta

ſumta medicamenta amara, enecati, in inteſtinis computruerint, ex quo febres non ſolum acutiſſimæ producuntur, ſed & tales, ſi jam præſto ſint, inſigniter inde perturbantur. Interim *expulſio in lumbricis*, niſi quidem in ventriculo hæreant, facillima, in aſcaridibus, qui propter pruritum in inteſtino recto & teneſmum nullas adeo moleſtias inferunt, difficilior, in *latis* autem *cucurbitinis*, nimirum tænia atque ſolio, omnium difficillima eſt, quippe quæ ſpecies pertinaciſſime ſemper reſiſtunt, & non niſi articulatim, vel fruſtratim excerni poſſunt, de quibus conferatur ſupra citatus *Nicolaus Andry in Tr. de vermium generatione, & Annales Medico-Phyſ. Wratislav. Ao. 1719. M. Febr. Claſſ. IV. Art. XIV.*

§. XVII. *Therapiam* denique moleſti hujus affectus, tribus potiſſimum indicationibus ſuperſtruere opus erit; quarum I. *Enecationem*, II. *Expulſionem vermium* & III. *Mitigationem ſymptomatum urgentiorum* concernit. Quod priorem attinet, illa obtinetur cum *ſpecificis amaris* & interpoſitis ⊖ibus abſtergentibus, quo nomine communiter *Radices* Ariſtol. rot. quæ omnium fere ſui generis amariſſima eſt, Gent. r. & alb. Zedoar. Gram. *Herbæ* Abſinth. Matricar. Cent. min. Tanacet. C. B. Scord. &c. imo ipſa etiam Myrrha & quidem in decoctis cum lacte paratis, laudantur, quæ vero caute adhiberi & pro adultioribus non niſi reſervari debent, ne ipſos hoſce puſillos carnifices adverſis ejusmodi medicamentis præpoſterè irritemus, atque ad excitandas plures moleſtias diſponamus, inprimis cum ſingulæ horum medicamentorum ſpecies ob ſaporem nauſeoſum patientibus ipſis, maxime vero infantibus, in aſſumtione adhuc multa incommoda inferant, quare etiam pro ipſis melius inſipida v. g. C. C. uſtum, cinis cochlearum, corallina &c. in pulveribus exhibenda, aut decoctum Sem. Santonici vel Tanaceti cum lacte factum, nec non Limat. ♂tis cum pane butyraceo propinanda, reſervantur. Ex ⊖lium digeſtivorum claſſe inpri-

mis ⊕lum ♂tis, ♀rus ⊕lat. amar. Arcan. 2pl. & ⊕ ☿iat. laudem merentur, quæ in forma Pulveris ad ℈j. pro doſi, prioribus medicamentis, pro impetranda faciliori mucoſitatum abſterſione, interponi poſſunt. De ▽a vero ☿ia-li, quæ mediante coctione cum ☿ vivo parata eſt, nullam adeo directam efficaciam pro hoc ſcopo impetrando, promittere poſſumus, majorem autem virtutem exſerit: Decoct. Rad. Allii cum lacte paratum, ſi modo ob ſaporem nauſeoſum infantibus ſemper propinari poſſet.

§. XVIII. Ad *alteram indicationem* obtinendam faciunt in omni quidem genere laxantia, ſpeciatim vero ☿ dulc. rit. præp. ad grana aliquot in pulvere c. abſorb. quodam exhibitus, quem pro unico fere ſpecifico Anthelmintico plurimi Autores reputarunt, notante Celeberr. *Boyle in Tr. de Specificis.* Ejusdem cenſus eſt Aethiops mineralis, qui propter conjunctum 🜍 etiam vermes enecat, & quia omni fere ſapore deſtituitur, junioribus ſubjectis commodiſſime exhiberi poteſt, niſi illi quidem colorem nigricantem averſentur, quo caſu *Rotulæ* ex ☿ d. Rhabarb. C. C. uſt. Saccharo & ⊕lo ♂tis paratæ, aut *Linctus* ex iisdem ſpeciebus atque Syr. Cichor. cum Rhabarb. compoſitus, idem negotium facilius expedient, quia infantes atque ipſi etiam Lumbrici dulcium medicamentorum ſaporem minus adverſantur, & hi ultimi ſimul mortem ſub tali velamento optime ſibi adſciſcunt, ſiquidem ſupra citatus *Franc. Redi in Obſervat. ſuis circa Animalia viventia*, jamjam annotavit, quod Lumbrici humani in ſolutione ſacchari & mellis intra tres vel quatuor horas extincti fuerint, procul dubio ob acrimoniam ſubtilem, quam omnia dulcia conjunctam habent, quæque propterea tenuem mucilaginoſam horum animalculorum conſiſtentiam facillime diſſolvere poteſt. Huc etiam referuntur Aloëtica quævis & Colocynthiaca medicamenta, cum quibus vero caute procedendum, æque ac cum externis, v. g. unguento de Cyclam. vel de Arthranita, quia cum vehementia quadam effectum huncce proſequuntur. Ubi autem